



tanquam in Thesauro posuit Deus omnes gratias, ut in omnes diffundat. Nam, ut ait D. Bernardus sèpè à me citatus: Totum nos habere voluit per Mariam: Albertus Magn. homilia super Missus est, ac ait: Congregationes aquarum vocavit Deus Maria: locus autem omnium gratiarum vocatur Maria. Et sicut à mari omnia flumina exeunt, sic & à Maria, pro ejus interventu, omnes gratiæ in omnes derivantur, tanta ergo abundantia gratiarum ipsa est via, quæ nos ducit ad veritatem filium ejus Jesum Christum. Et subdit: In me omnis spes via, & virtutis: cum ipsa sit gratiosa via ad veritatem, in ipsa est omnis spes nostra ut ad veritatem perveniamus. Quocirca ait D. Ephrem Orat. de Laudibus Virginis. Ipsa vocatur Spes desperantium, peccantium adjutrix, mundi solatium, porta cælorum.

Sagena missa in mare.

QUÆSTIO VIII.

Quare in hac sagena tanta sit discretio bonorum à malis, & unde investiganda?

35. Textus. IN præfenti ait Christus D. n. 47. Simile est regnum cælorum sagena missa in mare ex omni ni genere piscium congreganti, quam cum impleta esset educerent, & secus litus sedentes elegerunt bonos in vasa sua: malos autem foras miserunt. Quod est explicatum tom. 3. cap. 29. q. 14. 15. 16. per sagenam hic significatur, vel Ecclesia Sancta Dei, vel Fides Catholica, ut latè ibi dixi q. 14. Adde.

36. Elias Cret. Primò: Elias Cretensis orat. 9. Nazianzen. & ait: Piscatores sunt Apostoli, qui homines piscantur; sagena, & retia predicatio, & Apostolica doctrina. Pisces, mundus, quem Apostoli suis retibus implicaverunt, ut eos, qui in maris hujus vitæ fluctibus natabant, ex erroris, & vitii gurgite in altum extraherent, & summo regi Christo offerrent. Apostoli veluti piscatores, sua prædicatione, tanquam efficacissimo reti, ex profundo vitiorum pelago deploratissimos peccatores extraxerunt, qui & Christo sunt inserti, ac copulati. In primo rerum molimine, dixit Deus, producant aqua reptile anima viventis, & volatile super terram: Gen. 1. n. 20. Ecce ex eisdem aquis producuntur reptilia in fœtido luto immersa, quæ ibi reptant; & degunt; ex eisdemque aquis producuntur volucres, quæ in sublime & in altum volant; et si in hoc mundo multi reperiantur suâ iniquitate in multa turpitudine peccatorum detenti, inde etiam nascuntur velites animæ, nempe justorum, qui gratiâ Dei ad superna volant. Enchir. lib. 1. Genes. 1. Enchir. Genes. c. 6. & ait: Quinta die facta sunt in aquis reptilia animarum vivarum, & volatilia, id est sancta anima ad superna volantes. De profundo vitiorum abyssu comparat Divina gratia cœlestes cives.

37. Secundò: Collegerunt bonos in vasa sua: malos autem foras miserunt. In hoc nempe tem-

porali Cælorum regno, quod est Ecclesia Dei, boni, & mali simul sunt commixti, ac Congregati mali, & boni; sed veniet excussio retium, veniet discretio: hora, in qua boni, & mali recipient prout egerunt. D. Petrus Chrysol. serm. 47. Adveniet, ait, ista discretio superna, qua dat malos panis, bonos rapit ad honorem, electos omnes de contumelia exigua, perpetuâ gloria consolatur.

38. Sunt ergo in hoc mundo peccatores tanquam pisces, qui habent pennas, & evolant ad vitam, & sunt, & qui cæno adherentes, æternis manent tenebris deputati. Unde cavebat Deus Levit. 11. n. 9. Omne, quod habet pinnulas, & squamas, tam in mari, quam in fluminibus, & stagnis, comedetis. Quidquid autem pinnulas, aut squamas non habet, eorum qua in aquis moventur, & vivunt, abominabile vobis, & execrandum erit: Circa quæ pulchrè audiendus est D. Athanas. Sinaïta lib. 5. exam. in fine, ubi ita habet: Pisces autem sunt quidem peccatores in mari; & quidem conantur parva ex parte imitari volucres, ut qui pennas habeant, hoc est, ex parte pietatem. Unde etiam volant in aquis tanquam volucres. Qui sunt autem ex his nequiores, & plus habent materia, cum non sint squamati infernè, habent ortum ex cœnosa materia, qui quidem nihil penitus habent bonorum operum, pigri, & desides; & difficile se moventur, facile capiuntur ad mortem. Ecce hic ponuntur signa, quibus innuantur peccatores pertinentes ad vitam, vel ad mortem; qui enim, licet sint in profundo vitiorum mari, tamen in eis relucet aliquibus bonis operibus moralibus pietatis, misericordiæ: hi habent alas; ut ex infimo ad superna eleventur, ut qui pennas habeant, hoc est, ex parte, pietatem: sunt etiam & alii, qui tanquam squamis induti habent generositatem, ac valorem ad magna, & præclara opera; hi etiam possunt inveniri apti, ut ad sublimia evocentur, ut de Moysè, & Paulo dixit D. Augustinus contra Faustum. Ager fertilis inutilium herbarum repletus: dum Moyses percussit Ægyptium, & Paulus ibat anhelans, & spirans contra Christianos: At verò, qui cæno vitiorum inherentes plumbei sunt ad opera bona faciendâ, in infimis manent semper: Qui quidem nihil penitus habent bonorum operum, pigri, ac desides, ac difficile se moventes, & facile capiuntur ad mortem. Homines ignavi, segnes, & tardi, inutiles omnino sunt, & ad nullum opus bonum inserviunt. Episcopo Laodicæ Ecclesiæ dicitur Apocalyp. 3. n. 15. & 16. Scio opera tua, quia neque frigidus, neque calidus es; utinam frigidus esses, aut calidus. Sed quia tepidus, & nec frigidus, nec calidus, incipiam te vomere ex ore meo Pro quo vide, quæ ibi dixi tom. 1. in Apoc. quæst. 37. n. 321. 322. & quæst. 39. n. 328. & 329.

Divina Sapiencia facit discretionem inter bonos, & malos. D. Chrysol.

D. Athanas. Sinaïta.

Viri pii & generosi, apti ad magna & præclara opera. D. August.

QUÆSTIO IX.

Quare hæc sagena educitur non ex navibus, sed ex littore, & non à stantibus, sed à sedentibus?

39. Textus. Dicitur in Textu, n. 48. Quod regnum cælorum sit simile sagena missa in mare, & omni genere piscium congreganti, quam cum impleta esset, secus litus sedentes elegerunt bonos in vasa sua, &c. circa quæ tria quæro.

40. Primò: cur hæc sagena dicitur educta non à stantibus in naviculis: ut frequenter contingit, sed ab stantibus in littore: Isti educerent sunt prædicatores, qui ut valeant educere bonos de vasto vitiorum mari, debent esse extra illud, ab eoque separari, & non in medio ejus immersi: Cum magno mysterio, postquam Moyses percussit Sehon Regem Amorrhæorum, & Og Regem Basan, tunc subdit Textus Deuter. 1. n. 5. Capiti Moyses explanare, & dicere: Dominus Deus noster locutus est ad nos ex Horeb. Et cur modò, & non antea Moyses legem explanat, ac declarat? Antea debebat per desertum inter illos iniquos, ac perversos Reges, & execrabiles idolatras; & ideo de sacro eloquio non audeat verba facere, nisi postquam illis extinctis valde extraneus, & separatus ab eorum commercio. Ibi Glossa. Notandum, ait, quod interfectis duobus Amorrhæorum Regibus, lex recapitulatur, & populus instruitur: quia remotis scandalis, & superatis vitiorum turmis, competenter doctrina instruitur, & fidei lumen dignè considerantibus aperitur. Debemus prius in nobis vitia occidere, & sic mandata divina populis tradere. Nota ultima verba, & vide suprâ cap. 5. q. 2. n. 7. & in quolibet nostro tomo, verbum Prædicator.

41. Secundò: sagena dicitur educta à sedentibus in littore: secus litus sedentes. Cum experientia notum sit, quod sagena extrahatur à piscatoribus stantibus, & non sedentibus, ut ita majori nisu sagenam extrahant; tamen sagena hæc educitur à secus litus sedentibus: per hos piscatores sedentes denotantur prædicatores, quia ideo dicuntur sedentes, quia multo studio, & alta consideratione debent præmeditari ea, quæ dicturi sunt, & in populum, ac in publicum eructantia: & ideo hac de causa scribit D. Hieronymus ad Nepotianum epistol. 2.

Prædicator prius se expurgat ab omni malo, & postea docet. Glossa. Prædicator profunde cogitat, quæ dicturus est. D. Hieron.

Disce, quod doceas: & epistol. 4. ad Rusticum Monachum. sic eum mone: Discas, quod possis docere, ne prius magister sis, quam discipulus.

Æthiops ille Eunuchus potens Candacis Regina Æthiopum, qui erat super omnes gazas ejus... revertebatur sedens super currum suum, legensque Isaiam prophetam: Actor 8. n. 27. Valde mirum sanè; quod vir iste multis, & magnis negotiis totius regni occupatus, & etiam labore iter agendi impeditus; tamen ab studio Sacræ Scripturæ, illiusque intelligentiæ non desiste- bat; imò, ut observat D. Chrysol. homil. 19. in Acta, sic ait: Eo legebat tempore, quo Solis calor ferventior; ac proinde meridiano tempore, in quo omnes homines solent quiescere, ac labori suo supersedere; ac si nullam horam putaret intempestivam ad scripturarum lectio- nem. Et unde in homine Æthiopo tantum studium, ac affectus ad illud? Destinabatur ipse Prædicator gentilibus Æthiopiæ regni; & in de nullum prætermittebat tempus absque studio, meditatione, ac cogitatu eorum quæ dicenda, & aliis communicanda erant. D. Hiero- nymus epistol. 103. ad Paulinum: Reliquis, ait, Aulam Regiam, & tantus amator legis, divini quoque scientia fuit, ut etiam in vehiculo sacras literas legeret.

43. Præparat foris opus tuum, & diligenter exerce agrum tuum, ut postea ædifices domum tuam: Ad ædificandam domum, duo sunt præmittenda, præparandum opus, ager diligenter excolendus, quæ moraliter interpretantur Patres de Doctore, ac Prædicatore: & primò dicitur: Præparat foris opus tuum: proprium opus hominis est justitiæ, virtutis, ac veritatis; & hæc non tantum in interiori, sed etiam foris, ut bono exemplo alios ædificet: diligenter exerce agrum tuum, nempe mentem tuam profundo studio Scripturæ, & altâ rerum meditatione eorum quæ sunt dicenda. Et postea ædificabis domum tuam, bonorum discipulorum, ac auditorum. Rabbi Salomon apud Lyranum ibi, ait, Præparat foris opus tuum studio Sacræ Scripturæ, & diligenter exerce agrum tuum videndo glossas Doctorem, ut postea ad discipulos per sanam doctrinam; aliter esset ordo perversus. Qui magnam intendit extruere domum, magna, & profunda facit fundam. cniæ Lyran. sic & Doctores, qui magnum discipulorum gymnasium præparat ædificare, alta apponat fundamenta, virtutis, scientiæ, & meditationis te- rum.



CAPUT XIV.

1. Nillo tempore audivit Herodes Tetrarcha famam Jesu: 2. Et ait pueris suis, Hic est Joannes Baptista: ipse surrexit à mortuis, & ideo virtutes operantur in eo. 3. Herodes enim tenuit Joannem, & alligavit eum: & posuit in carcerem propter Herodiam uxorem Philippi fratris sui. 4. Dicebat enim illi Joannes, Non licet tibi habere eam. 5. Et volens illum occidere, timuit populum: quia sicur prophetam eum habebant. 6. Die autem natalis Herodis saltavit filia Herodias